

tol. & communiter Moderni, Alexand. in *Rubric. eodem titul.* Glossa, & communiter DD. in *Rubric. Cod. de Posthum. hered. Instit.* Glossa, & ibi DD. in §. *Posthumorum. Instit. de Exhereditat. liberor.* & idem probat prædicta lex 20. titul. 1. 6. partit. & sic vel & textus dicere, quod posthumus, qui si vivo patre nasceretur, deberet esse in potestate patris; nunc quando est natus post mortem patris, est suus, & habet jura suitalis: unde meritò ante nativitatem non est nullum testamentum, postea verò sic: & est unus casus, in quo quis habet suitalis, licet non sit in potestate patris, ut plenè declarant Jason, & Moderni in *leg. Qui se patris. Cod. Unde liber.* quia satis est quod potentialiter potuit esse in potestate patris, si eo vivo nasceretur: & istud est quod propriè vult textus in *dist. §. Posthumi*, & volunt jura superiora. Et istam solutionem ego cogitavi legendo, & postea inveni Franc. Curt. juniorem ita tenere in *leg. Posthumus nato. Cod. de Bonor. possession. contra tabul. 6. column. num. 24.*

3. Unum tamen est, quod si talis posthumus præteritus nascatur in vita patris, & similiter in ejus vita decedat; dato quod per nativitatem testamentum fiat nullum, tamen per mortem statim ipso jure convalescit, modò in eo sint instituti venientes ab intestato, modò extranei: quia in principio tale testamentum valuit; unde de facili revertitur ad suam naturam: textus est singularis in *leg. Posthumus. ff. de Injusto, rup.* & ibi notant Bartol. Alber. Paul. Imol. & communiter DD. & ad hoc illum textum reputant singularem Paul. ibi, & Jason in *leg. Posthumus nato. Cod. de Contra tabul. 2. column.* Itaque si filius jam natus præteritur, & moriatur vivente patre, reconvalescit testamentum, si in eo sint instituti venientes ab intestato: si verò posthumus præteritur, & post nativitatem decedat vivo patre, testamentum indistinctè reconvalescit, modò sint instituti venientes ab intestato, modò extranei. Advertendum tamen, quod prædicta debent intelligi, quando talis filius posthumus natus est vivus, & ex legitimo partu; secùs verò si abortivus: ita in *leg. Uxor. abortu. Cod. de Posthum. heredib. Instit. ubi vide Paul. & DD.*

4. Advertendum tamen, quod ad hoc ut

(n) Vide latè *De partu extra tempus seu ante factò* Matienz. *dist. leg. 2. titul. 8. lib. 5. gloss. 4. & 5. per totam.* Aceved. *ibid. num. 9.* & Velazquez *hic, Gloss. ultim. per totam:* ubi autem partus ad monstrum declinat, non succedet, nec rumpet: textus in *leg. 3. Cod. de Posthum. hered. Instit. & in leg. 5. tit. 22. part. 4. & tradit Matienz. ubi supr. num. final.*

per nativitatem posthumi rumpatur testamentum, requiritur quod nascatur totus vivus, non declinans ad monstrum, vel prodigium, licet statim in ipso instanti decedat, posquam in terram, vel in manus obstetricis ceciderit: textus est in *leg. 2. & 3. Cod. de Posthum. heredib. Instit. & ibi Glossa ordinaria*, & communiter DD. Item etiam procedit, licet matre mortua, & secùs ventre nascatur: textus est in *leg. Quod dicitur. ff. de Liber. & posthum.* & ibi Glossa ordinaria, Bartol. & communiter DD. Hodiè tamen per nostram legem Tauri non sufficiunt prædicta, sed requiritur quod totus nascatur vivus, & quod sit baptizatus, & vivat per xxiv. horas: Item etiam quod sit natus tali tempore, quod secundum tempus matrimonii consideretur partus legitimus, & possit vivere; ut septimo, vel nono, vel decimo mense: Secùs verò aliàs, si nascatur alio tempore, quo naturaliter non posset vivere; quia paria sunt, posthumus non nasci, vel quod nascatur tali tempore quo naturaliter vivere non possit; argumento textus in *leg. Septimo mense. ff. de Statu homin. cum similib.* & ita etiam tenebant de jure communi Paul. de Castr. Alexand. & Moderni in *dicta leg. 2. de Posthum. hered. Instit. & tenent Raphael Cuman. & alii DD. in dist. leg. Quod dicitur. ff. de Liber. & posthum.* & ista erat communis opinio. Pro qua communi opinione faciunt *leges 4. & 5. tit. 22. 4. partit. & lex 17. tit. 6. 6. part. (n)* Quod iterum intellige, præterquam si ante matrimonium talis mulier esset concubina alterius, cum quo postea contraxit matrimonium, & peperit infra aliquod brevissimum tempus: quia præsumitur genitus, & conceptus ab ea, tempore concubinatus, & per consequens legitimatus per subsequens matrimonium; & sic nascitur legitimatus: argumento textus in *leg. Miles. §. Defuncti. ff. de Adult. ubi probatur, quod natus ex muliere conjugata, quæ ante fuit concubina alterius, potius præsumitur filius legitimus, & natus ex legitimo matrimonio, quàm ex concubinario, licet naturaliter possit esse filius utriusque secundum tempus partus; & hoc favore matrimonii: quem textum ad hoc notat DD. & reputat singularem Bald. in *leg. Si matre. Cod. de Suis & legit. heredib.* Ergò eodem modo, si ante matrimonium mulier esset concubina alicujus, cum quo postea contraxisset, & infra brevissimum tempus peperit, præsumitur*

ge-

genitus, & conceptus ab eis, per consequens nasci legitimus: & hoc ultimum tenent Glossatores in præsentia. Cætera quæ huic legi possunt applicari, vide in materia, quam de jure communi tracto in materia successione contra testamentum.

TEXT. XIV.

MANDAMOS que el marido, y la muger, suelto el matrimonio, aunque casen la segunda, ò tercera vez, ò mas, pueda disponer libremente de los bienes multiplicados durante el primero, ò segundo, ò tercero matrimonio, aunque haya havido hijos de los tales matrimonios, ò de alguno de ellos, durante los quales matrimonios los dichos bienes se multiplicaron; como de los otros sus bienes propios, que no oviessen seydo de ganancia: sin ser obligados à reservar à los tales hijos propiedad, ni usufructo de los bienes.

Id est:

Præcipimus, ut maritus, vel uxor, soluto conjugio, etiamsi secundo, tertio, aut amplius nuptias repetat, possit liberè disponere de bonis multiplicatis in primo, aut secundo, aut tertio matrimonio, etiamsi proles susceperit ex ejusmodi matrimoniis, aut ex aliquo ex ipsis, in quibus bona sunt multiplicata, perinde ac de aliis propriis bonis, quæ in tali conjugio non sunt acquisita: neque teneantur reservare ejusmodi prolihus proprietatem, aut usumfructum (eorum) bonorum.

TEXT. XV.

EN todos los casos, que las mugeres casando segunda vez son obligadas à reservar à los hijos del primer matrimonio la propiedad de lo que ovieren del primer marido, ò heredaron de los hijos del primero matrimonio: en los mismos casos el varon que casare segunda, ò tercera vez, sea obligado à reservar la propiedad dellos à los hijos del primero matrimonio. De manera, que lo establecido cerca de este caso en las mugeres, que casaren segunda vez, haya lugar en los varones, que passaren à segundo, ò tercero matrimonio.

Id est:

In omnibus casibus, in quibus mulieres secundas nuptias repetentes tenentur filiis primi matrimonii reservare eorum bonorum proprietatem, Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

que habuerunt ex priore marito, aut hereditate filiorum præcedentis matrimonii: in eisdem casibus vir, qui secundo, aut tertio conjugio obligabitur, teneatur eorum proprietatem reservare filiis ex primo conjugio susceptis. Itaque quod hac in parte pro feminis secundas nuptias ineuntibus est constitutum, habet locum in viris quoque ad secundum, aut tertium conjugium transeuntibus.

TEXT. XVI.

SI el marido mandare alguna cosa à su muger al tiempo de su muerte en su testamento, no se le cuente en la parte que la muger ha de haver de los bienes multiplicados durante el matrimonio; mas aya la dieha mitad de bienes, y la tal manda en lo que de derecho debiere valer.

Id est:

Si uxori quicquam maritus in morte per testamentum legaverit; illud non numeratur in ea parte bonorum durante conjugio multiplicatorum, quam uxor habere debet: sed ad prædictam bonorum medietatem addatur ejusmodi legatio in eo quod de jure debet valere.

COMMENTARI I

In Legem XIV. XV.

& XVI.

SUMMARIUM.

1. *Mulier quæ post mortem mariti contrahit secundas nuptias, an teneatur reservare filiis primi matrimonii omnia quæ habuit à primo marito?*
2. *An hodiè uxor teneatur reservare filiis primi matrimonii id quod habuit à filio?*
3. *Mulier an teneatur reservare filiis primi matrimonii illud, quod habuit causa nuptiarum?*
4. *An pater teneatur reservare filiis ea quæ habuit ab uxore, vel aliquo filio?*
5. *Mater, vel maritus transiens ad secundas vota, an possit alienare prædicta bona?*
6. *Casus, in quibus potest mulier transire ad secundas nuptias sine ista pœna.*
7. *Uxor transiens ad secundas nuptias, an teneatur reservare filiis primi matrimonii ea*

- 8 *Si maritus aliqua bona reliquit uxori sub conditione si non nupserit, an statim ea amittat per transitum ad secunda vota?*
- 9 *Si maritus relinquat uxori aliquod legatum, donec honeste vixerit, an per transitum ad secundas nuptias perdat legatum?*
- 10 *An per transitum ad secunda vota mater perdat tutelam?*
- 11 *An ad hoc quod mater acceptet tutelam, requiratur quod renunciat secundis nuptiis?*
- 12 *Postquam mater est exclusa à tutela per transitum ad secundas nuptias, tutela ad quem perveniat?*
- 13 *Si mater non transit ad secunda vota, sed luxuriosè vivat, an perdat tutelam?*
- 14 *Masculus luxuriosè vivens, an fiat sibi interdicitio bonorum?*
- 15 *An pater per transitum ad secunda vota perdat legitimam administrationem filiorum?*
- 16 *Si mater vivat luxuriosè, & succedat alicui, an teneatur reservare aliis filiis?*
- 17 *Mulier luxuriosè vivens, an perdat medietatem lucrorum acquiritorum constante matrimonio?*
- 18 *Si mater antequam transeat ad secunda vota non petierit à iudice tutorem filiis dare, an amittat successionem filiorum, & jus substitutionis pupillaris?*
- 19 *Si fortè filius impubes mortuus est infra annum, in quo mater debebat petere tutorem à iudice filiis suis, & remanebat brevissimum tempus ad petendum tutelam, an succedat?*

Nota decisionem hujus legis: Pro cujus perfecta declaratione dico, quòd si mulier post mortem mariti contrahat secundas nuptias, tenetur reservare filiis primi matrimonii omnia bona, quæ habuit à primo marito ex testamento institutionis, legati, vel fideicommissi, vel per contractum donationis inter vivos, vel ex alia lucrativa causa: & tantum habebit jus utendi,

(o) Vide Matienz. in leg. 3. titul. 1. libr. 5. Recopilation. gloss. 2. à numer. 3. ubi per numeros sequentes enumerat 22. penas, quibus mulier transiens ad secundas nuptias coercetur.

(p) Sed, an acceptum in præmium virginitatis amissæ à sene, vel ignobili, teneatur reservare filiis primi matrimonii? Et non teneri id reservare asserit Covarrubias in quart. 2. part. cap. 3. §. 2. num. 3. quia est donatio remuneratoria in præmium amissæ virginitatis, vel nobilitatis. Ripa in leg. Semine, Cod. de Secundis nuptiis. Palacios Rub. in Rub. de Donat. inter vir. §. 50. num. 35. Perez, lib. 4. Ordinament. column. 1378. ad finem.

& fruendi, & sic usumfructum legale ex legis dispositione, & non poterit prædicta bona alienare inter filios secundi matrimonii, nec inter extraneos, etiamsi filios ex secundo matrimonio non susceperit: textus est capitalis in leg. Fæmina, & quasi per totum, Cod. de Secundis nuptiis: textus in leg. Mater, Cod. Ad Tertyllan. text. in leg. 2. Cod. de Indict. viduit. tollend. (o) Et idem est si talis mulier habuit aliqua bona ab aliquo filio primi matrimonii titulo successionis ex testamento, vel ab intestato, vel titulo particulari legati, vel fideicommissi: quia etiam illa bona tenetur reservare filiis primi matrimonii, nec poterit ea alienare in aliquem ex filiis secundi matrimonii, nec in extraneos; sed tamen habet in eis usumfructum in vita sua. Nec fit aliqua distinctio, nubat ante mortem filii, vel post: Ita etiam probant prædicta jura. Unum tamen est, quòd hoc casu non tenetur reservare ea quæ habuit à filio in vita per contractum donationis, vel ex alia causa: quia nihil de hoc ibi disponitur. Non extantibus verò filiis, vel descendentibus prioris matrimonii, indistinctè poterit alienare, vel disponere in quem velit, ut ibi expressè dicitur. (p)

2 Advertendum tamen est, quòd licet de jure antiquo tenebatur reservare, etiamsi habuisset prædicta bona ex testamento filii; tamen hodiè non tenetur reservare, sed tantum eo casu quo ab intestato succedit; quia ex testamento dicitur capere sicut extraneus: textus est in Authent. Ex testamento, Cod. de Secund. nupt. cujus verba sunt: Ex testamento succedit mater liberis suis, quæ convolvavit ad secundas nuptias, sicut institutus quilibet. Cujus ratio est: quia quando mater succedit ex testamento filii, dicitur habere ex voluntate ejus expressa, & tunc capit, sicut quilibet extraneus; sed quando succedit ab intestato, principaliter dicitur habere ex legis dispositione; unde meritò potuit sibi istud onus, & modum reservationis proprietatis adjicere, & imponere: ita Cyn. in dict. Authent. Ex testamento, & ibi Salic. Dubium tamen est, an

istud procedat tantum in bonis, quæ ipse filius habuit à patre, vel ejus ascendentibus; vel etiam in bonis quæ habuit ab extraneo, vel suo labore? Et videtur quòd tantum in bonis quæ habuit à patre: ita probat text. in dicta Authent. Ex testamento, ibi: Quæ ex paterna substantia ad filium pervenerunt: & ibi notant communiter Doctores: Probat etiam textus in leg. Mater, Cod. Ad Tertyllian. & ibi tenent Glossa ordinaria, Odofred. Cyn. Bartol. Alber. Bald. Salic. Corn. & communiter Doctores; licet contrarium teneat ibi Paul. de Castro in distinctione quam facit.

Advertendum tamen, quòd si maritus relinquat aliquid uxori in testamento, vel à contra uxor marito, tenetur etiam hodiè servare filiis primi matrimonii. Unde si maritus relinquat uxori quantum bonorum per viam institutionis, vel legati; vel à contra uxor marito: tenetur illud reservare filiis primi matrimonii secundum jura Codicis, quæ in hoc non reperiuntur correcta per textum in dicta Authent. Ex testamento, Cod. de Secund. nupt. & unde sumit, quia ille textus procedit quando mater, vel pater aliquid recepit à filio ex testamento; quia tunc non tenetur reservare, quia capit ut extraneus: (q) Sed verò in nostro casu, quando unus conjux recepit ab altero; quia tenetur reservare, propter injuriam quam sibi facit, per transitum ad secunda vota. Et in expresso ita probat dicta Authent. Ex testamento, Cod. de Secund. nupt. & unde sumitur; cum tantum loquatur in bonis habitis ex testamento alicujus filii: & est de mente omnium Doctorum: & in terminis ita tenet Oldrad. In consiliis suis. Con-

sil. 33. Cifuentes in leg. sequent. penultim. column.

5 Item adde, quòd talis mulier tenetur reservare etiam illud quod habuit à marito causa nuptiarum, puta sponsalitiæ largitatem, donationem propter nuptias, donationem bonorum, vel aliam similem donationem: (r) textus est in dict. leg. Fæminæ, Cod. de Secund. nupt. ibi: Quidquid ex facultatibus priorum maritorum sponsalium jure: Quidquid etiam nuptiarum solemnitate perceperit: textus in Authent. In donatione, eodem titul. & ibi communiter Doctor. & in expresso ita determinat lex 1. titul. 2. lib. 3. For. legum: licet videatur dubium, cum talis donatio censeatur remuneratoria, & potius ex causa onerosa, quàm lucrativa. Ex quo deducitur, quòd hodiè in nostro Regno talis mulier reservabit filiis primi matrimonii omnia illa, quæ tempore sponsaliorum sibi fuerunt donata à sponso, secundum formam, & dispositionem textus in leg. 53. infr. His legibus Tauri.

Ex quibus videbatur inferendum, quòd mater transiens ad secunda vota teneatur reservare filiis primi matrimonii medietatem lucrorum, quæ sibi pervenit per leges hujus Regni. (s) Sed in hoc contrarium expressè disponit nostra lex: Imò quòd pleno jure sibi quærit mulier, licet transeat ad secundas nuptias: (t) Et ista est vera decisio hujus legis. Et confirmatur, quia mulier per transitum ad secunda vota non amittit lucrum, quod immediatè sibi provenit ex legis dispositione: textus est singularis in leg. final. Cod. de Bonis maternis: & ibi ad hoc notant Bald. & Philippus Corneus, Palacios Rub. in repetit. cap. Per vestras, §. 50. fol. 31. 1.

(q) Vide Matienz. in leg. 3. titul. 1. lib. 5. Recopilat. gloss. 2. Aceved. ibid. numer. 4. in fine.

(r) Idem tenet Matienz. in leg. 3. titul. 1. lib. 5. Recopilat. gloss. 2. numer. 4. Aceved. ibid. numer. 2. Covarrub. in 4. 2. part. cap. 3. §. 9. num. 1. Tellus Fernandez in leg. 6. Taur. numer. 16.

(s) Vide Velazquez de Avend. in gloss. 2. per totam, ubi refert diversas opiniones quorundam Doctorum asserentium, jure communi teneri mulierem reservare filiis primi matrimonii lucra constante matrimonio ex facultatibus viri quæsitæ: Hancque opinionem tenuerunt Salicet. Paul. Roman. & Socin. cum aliis pluribus, quos tam ipse, quàm Matienz. in leg. 6. titul. 9. lib. 5. Recopilat. gloss. 1. num. 1. referunt. Sed Gomez Arias hic, & Castell. & Joan. Lupus, & Gregor. in leg. 20. titul. part. 3. & Montalv. in leg. 13. in fin. titul. 1. lib. 3. Fori contrariam tenuerunt, asserentes, ne jure quidem communi mulierem teneri hæc lucra filiis reservare primi matrimonii: quod etiam sentit Tellus hic, licet ipse Velazquez ubi supra priorum opinionem sequatur, aliamque rationem ad nostrum textum assignet.

(t) Idem tenet Segura in tractat. de Bonis lucratis constante matrimonio, numer. 86. & 87. Castell. glos. 1. Fernand. Gomez Arias num. 2. Gregor. in leg. 26. titul. 3. part. 5. Palacios Rub. hic num. 5. & 6. Matienz. in leg. titul. 9. lib. 5. gloss. 3. num. 1.

1. column. versic. Ex quo infertur. Philippus Corn. in Authent. Ex testamento, Cod. de Collationib. 5. column. num. 9.

Item adde prosequendo materiam, quod in prædictis casibus talis mulier, quæ transit ad secunda vota, statim ipso jure amittit dominium prædictorum bonorum respectu proprietatis, & applicatur prædictis filiis, & ipsa mater per legem efficitur usufructuaria: textus est in dist. leg. Fœminæ, Cod. de Secundis nupt. ibi: Possidendi tantum atque fruendi in diem vitæ, non etiam alienandi facultate concessa: textus in Authent. In donatione, eodem tit. ibi: Deserit eam proprietas, text. in Authent. Ex testamento, eodem tit. ibi: Eorum solum usumfructum percipiet, text. in leg. Hac edictali, §. His illud, eodem tit. ibi: Usufructu dumtaxat vitæ suæ temporibus potitur, textus in leg. 2. Cod. de Indicta viduit. tollend. versic. 1. text. in leg. Mater, Cod. Ad Trebellian. text. in Authent. de Nupt. cap. Si verò spectet. Collat. 4. & tenet Bartol. in dicta leg. Fœminæ, 1. column. & question. & ibi Cyn. & communiter Doctores. Item adde, quod talis mulier non poterit in prædictis bonis plus relinquere uni filio, quàm alteri, nec eis meliorationem facere; sed per leges æqualiter in eos dividuntur: textus est in Authent. Lucrum, Cod. de Secundis nupt. cujus verba sunt: Lucrum hoc æqualiter inter liberos lege distribuitur, non arbitrio parentis permittitur. (u)

4 Item etiam prosequendo materiam dico, quod sicut mater transiens ad secunda vota tenetur reservare filiis primi matrimonii bona quæ habuit à marito, vel ex successione alicujus filii; ita pater transiens ad secunda vota tenetur reservare filiis primi matrimonii bona quæ habuit ab uxore, vel ex successione alicujus filii: textus est in leg. Generaliter, Cod. de Secund. nupt. textus in leg. Si quis prioris, §. final. eodem tit. text. in Authent. de Non eligendo secundo nubentes, cap. Hoc, §. Quia verò contra binubos, Collation. 1. cujus verba sunt: Quia verò contra binubos pœnæ communes viris sunt & mulieribus. Et in expresso istam sententiam tenet Glossa ordina-

ria in leg. Fœminæ, §. Illud, Cod. de Secund. nupt. in glos. final. & ibi Bartol. Salicet. & communiter DD. Azo. in Summa illius tit. final. column. Philippus Dec. in leg. 1. ejusd. tit. 2. column. Glossa ordinaria in Authent. de Nuptiis, §. Nos autem, versic. final. in verb. Sive vir, Collation. 4. & ibi communiter DD. Bartol. in leg. De emancipatis, Cod. de Legitim. hæred. Paul. de Castr. in leg. Mater, Cod. Ad Tertullian. num. 3. Angel. de Aret. in §. Præferuntur, Institut. Ad Tertyl. penultim. column. versic. Secundo casu. Hostiens. in Summ. de Secundis nupt. penultim. column. Ancharran. in cap. Super, de Secund. nupt. 2. column. num. 6. Præpos. in Rubric. illius tit. final. column. Joan. Andr. in addition. ad Specul. in tit. de Secundis nupt. 1. quæst. Oldrad. Consil. 33. Aretin. Consil. 72. Socin. Consil. 34. & 263. Nicol. de Ubald. in tractat. de Successione. ab intestat. in 2. partit. 4. column. Joan. Guta in tractat. de Secundis nupt. in part. de Pœnis secundo nubentium: & idem expressè disponit hodiè sequens lex 15. Tauri. Et si quæras in quo fuit ista lex necessaria, cum de jure communi hoc erat decisum, & in eo non esset dubium? Potest dici, quod jura expressè hoc non disponebant, licet esset communis opinio Doctorum: unde nostra lex 15. Tauri voluit expressè hoc determinare (x)

5 Item adde, quod talis mulier, vel maritus transiens ad secunda vota, non potest aliquo modo alienare prædicta bona immobilia, quæ habuit à primo matrimonio: si verò sint mobilia, debet fieri eorum æstimatio per arbitros electos à partibus, & præstari satisfactio, ut post mortem conjugis transeuntis ad secunda vota restituatur illud pretium, & æstimatio, vel illa bona mobilia, si non sint deteriorata, vel restituantur cum æstimatione damni, vel deteriorationis: textus est notabilis in leg. Hac edictali, §. His illud, & §. Mobilium, Cod. de Secundis nupt. & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. Et pro securitate prædictorum bonorum, quæ filiis primi matrimonii debent reservari, omnia bona ipsius parentis transeuntis ad secunda vota sunt tacitè per leges eis obligata: textus est in leg.

Si

(u) Idem tenet Suarez in leg. Quoniam, Limitat. 10. legis Regiæ, numer. 7. fol. 170. Tell. Fernandez in leg. 4. Taur. num. 17. & in leg. 6. num. 68. Aceved. in leg. 3. tit. 1. lib. 5. Recopilat. numer. 3. & idem Aceved. in leg. 3. tit. 1. lib. 1. numer. 5. Matienz. in leg. 3. tit. 1. lib. 5. glos. 2. num. 41.

(x) Casus tamen, in quibus hæc bonorum reservatio admittitur, vide per Gabrielem tit. de Secund. nuptiis, per totum, maxime Reg. 1. 2. 3. 6. 7. & 8. Mieres 1. part. quæst. 54. per totam, & in cap. Si pater, 3. super verb. Censendum, num. 16.

Si quis prioris, §. final. Cod. de Secundis nupt. & ibi communis opinio: & idem disponit lex 26. tit. 13. 5. partit.

Dubium tamen est, si talis mater de facto alienavit prædicta bona quæ tenebatur reservare, an statim amittat illa, & filii prioris matrimonii possint in vita ejus avocare, & petere à possessoribus? Et videtur quod sic, quia est tantum usufructuaria; unde, alienando prædicta bona, & jus utendi quod habet, statim amittit usumfructum, & consolidatur cum proprietate: argumento textus in leg. Si usufructus, ff. de Jure dotium. & in §. Finitur. Institut. de Usufruct. cum similibus. & in expresso istam sententiam tenet Bald. in leg. Generaliter, §. In his, Cod. de Secundis nupt. cum quo transeunt alii Doctores. (y) Sed ego teneo contrarium, imò quod alienatio valebit, & revocabitur post mortem matris; quia potest esse quod filii prioris matrimonii decedant ea vivente, & nihil ad eos pertineat: quod secus est in alio usufructuario. Et in terminis pro ea opinione contra Bald. est textus expressus in Authent. de Non eligend. secund. nubentes, cap. Hoc autem. Collat. 1. & notant Bartol. Angel. & communiter DD.

Item adde, quod si talis mater ante transitum ad secunda vota alienavit aliqua bona prioris matrimonii, & post alienationem transeat ad secunda vota; filii primi matrimonii possunt prædicta bona petere, & vindicare à possessoribus, licet videatur alienatio facta tempore congruo, & permissio: textus est notabilis in dist. Authent. de Non eligendo secundo nubentes, cap. Hoc autem. Collat. 1. & ibi Bartol. Angel. & DD.

6 Limita tamen superiorem materiam, quæ habet, quod mater quæ transit ad secunda vota, teneatur reservare proprietatem filiis primi matrimonii: ut procedat præterquam si maritus in testamento, vel aliàs concedat sibi facultatem, ut nubere possit; quia tunc non privabitur prædictis bonis habitis ab ipso marito; vel ex successione alicujus filii. (z) Et idem est è contra, si maritus superstes contraxit secundum matrimonium de consensu uxoris decedentis; quia similiter non privabitur proprietate prædictorum bonorum, nec tenebitur reservare filiis primi matrimonii. Et

idem etiam est, quando mater, vel pater contraxit secundum matrimonium de consensu, & voluntate filiorum primi matrimonii, quibus tenebatur reservare. Primum probat textus in Authent. de Nuptiis, cap. Duo igitur, in fin. versic. Unum itaque. & in cap. sequent. Collat. 4. cujus verba sunt: Unum itaque hoc præmittatur legi. Secundum verò illud: Ut omnia quæcumque ex hodierna die testator disposuerit de talibus, sive vir, sive mulier consistat, hæc valeant. & ibi Glossa ordinaria, & communiter Doctores. Secundum probat Glossa singularis, juncto textu in Authent. de Non eligendo secundo nubentes, 3. column. Collat. 1. in verbo Copiantur, in quantum dicit, Invita filia. & ad hoc illam Glossam reputat ibi singularem Angel. de Perus. 3. column. num. 8. qui dicit, quod ex hoc debet esse cautus Advocatus, ut consulat mulieri, vel marito secundo nubenti, ut faciat filios primi matrimonii consentire: quia tunc prædictas pœnas evitabit; cum favore filiorum fuerint inductæ. Et in expresso istam sententiam tenet Bald. in leg. Filium quem habentem. Cod. Famil. eriscund. column. 2. num. 5. & ibi Paul. 2. column. in fin. num. 3. Jason 6. column. numer. 12. cum modificatione, de qua ibi Angel. de Perus. in leg. Mater, 2. column. Cod. Ad Tertullian. Nicol. de Ubald. in tractat. de Successione ab intestat. 2. part. 4. column. versic. Prædicta autem omnia. Socin. notabiliter in Regul. 272. 1. Fallentia. Rom. in Consiliis suis, Conclusion. 219. 1. & 2. column. idem Romanus in Singul. suis. Singulari 268. Cifuentes hic final. column. in fin. Didacus de Castell. final. column. in fin. Secundo limita, præterquam si talis mater, vel pater transeat ad secunda vota de licentia, & consensu Principis; quia tunc non incurrit prædictas pœnas: ita probat textus in leg. Solet, ff. de His, qui notant. infam. & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. textus in leg. Si qua mulier, Cod. Ad Tertullian. & ibi Glossa & communiter Doctores & in expresso ita tenet Angel. in leg. Mulier, Cod. Ad Tertullian. 2. column. & notabiliter melius quàm alibi Philippus Decius in leg. 1. Cod. de Secundis nupt. penultim. & final. column. ubi verè declarat.

Item

(y) Vide Covarrub. lib. 1. Variar. cap. 8. num. 9. & Aceved. alios allegantem licet per transitum, in leg. 4. tit. 1. lib. 5. Recopilation. num. 54. & Gregor. in leg. 24. tit. 13. part. 5.

(z) Idem tenet Matienz. in leg. 3. tit. 2. lib. 3. glos. 2. num. 5.

Item adde, quod sicut mater, vel pater transiens ad secunda vota, tenetur reservare filiis primi matrimonii quicquid habuit ab illo primo matrimonio: ita eodem modo tenetur reservare filiis secundi, tertii, vel ulterioris matrimonii, quicquid habuit ab illo secundo, tertio, vel ulteriori matrimonio: textus est in *leg. Cum aliis. versic. 1. Cod. de Secundis nupt.* cujus verba sunt: *Itaque, si habens filios ad secundas nuptias fortasse transierit, sponsalitiarum largitatem, quam vir secundus contulerit in uxorem tantummodo filii qui ex secundo matrimonio suscepti sunt pro soliditate possideant.*

7 Circa prædicta tamen se offert necessaria dubitatio, an mulier transiens ad secunda vota teneatur reservare filiis primi matrimonii bona, quæ habuit à consanguineis mariti contemplatione ipsius, vel in casu dubio? Et eodem modo, an pater teneatur reservare bona, quæ habuit à consanguineis ipsius uxoris, contemplatione ejus, vel in dubio? Et certè videtur quod non: Primò, quia legalis dispositio, quæ privat matrem, vel patrem transeuntem ad secunda vota proprietate bonorum, & obligat ea reservare filiis primi matrimonii, est odiosa, & merè poenalis: ita probat textus, junctâ communi expositione Doctorum, in *leg. Fœmina. Cod. de Secundis nupt. textus in Authentic. de Nupt. cap. Si verò expectet. ibi: Et hæc communis mulieris & viri multa sit posita. Collation. 4.* Sed illa tantum loquitur in bonis habitis per unum conjugem ab altero, vel ejus filio: Ergo nullo modo debet extendi ad alia bona habitâ à consanguineis: argumento textus in *leg. Interpretatione. ff. de Poenis. textus in leg. Factum. la. 2. versic. final. ff. de Regul. juris. textus in leg. Semper in obscuris. eodem titul. textus regul. Odia, de Regul. jur. lib. 6. textus In regul. In Obscuris, eodem titul. textus In regul. In poenis, eodem titul.* Confirmatur etiam: quia licet donatio facta uxori à consanguineis mariti videatur facta ab ipsomet marito; tamen illud est per fictionem, & juris præsumptionem, ut in *leg. Additio. in fin. ff. de Acquirend. hæreditate. & in leg. Cum oportet. versic. 1. Cod. de Bonis. quæ liber. junctâ Glossa in verb. Ex ejus substantia. & communi opinione: ergo dispositio poenalis simpliciter loquens non debet extendi ad casum fictum, vel præsumptum: argumento textus in *leg. 3. §. Hæc verba el. 2. ff. de Negot. gest. textus in leg. 1. §. Hoc interdictum de cisterna. ff. de Fonte.* Et in expresso ex isto fundamento hanc sententiam tenet Roman. in *Consil. suis, Con-**

sil. 405. incipienti. Præsuppositis, ubi notabiliter loquitur: Didacus de Castell. in nostra leg. 15. Taur. penultim. column. versic. Verumtamen nota.

Sed his non obstantibus, ego teneo contrariam sententiam; imò quod mater, vel pater teneatur reservare talia bona: Primò, quia omnia data, vel donata uxori à consanguineis mariti ejus contemplatione, vel in dubio, quando hoc percipi potest ex qualitate rerum, videntur donata ab ipso marito, & ipso marito quærentur, ut probat textus in *leg. Sed si plures. §. In adrogato. ff. de Vulgar. & pupill. textus in leg. Cum oportet.* Glossa ordinaria, & communiter Doctores, *Cod. de Bonis quæ liber. & dicam latius in leg. 53. infra his legibus Tauri.* Ergo illa bona teneatur reservare, tanquam si immediatè ab ipso marito provenerint; & idem è contra, ut maritus similiter teneatur reservare bona habitâ à consanguineis uxoris. Secundò, & in terminis pro hac conclusione facit textus in *Authentic. In donatione. Cod. de Secundis nupt.* ubi habetur, quod si mulier recepit donationem propter nuptias ab aliquo tertio pro ipso marito, tenetur eam filiis illius matrimonii reservare, tanquam si ab ipso marito processisset: & ibi notant DD. textus in *Authentic. de Nupt. cap. Si verò expectet. in fin. ibi: Et non decernimus, &c. Collation. 4.* Ergo indistinctè ea, quæ fuerint data uxori à consanguineis viri, ejus contemplatione, vel è contra, debent reservari.

Nec obstat si dicas, quod illa jura loquuntur specialiter in donatione propter nuptias, & non in aliis bonis datis à consanguineis, vel ab aliis personis contemplatione viri, ut dicebat Romanus in *dict. Consil.* Quia certè textus in *dict. cap. Si verò expectet. in fin. Collat. 4.* loquitur tam in donatione ante, quam propter nuptias, & apertè videtur comprehendere omnia quæ dantur occasione matrimonii: ergo similiter habeat locum in omnibus bonis traditis, & donatis à prædictis consanguineis; quia occasione illius contracti matrimonii videntur data, & sic in omnibus militat eadem ratio. Et in expresso istam sententiam tenet Palac. Rub. in *present. leg. column. penultim. versic. Sed quamvis.* Nec obstat primum, & secundum fundamentum pro contraria parte: Quia respondeo, quod licet dispositio sit poenalis, tamen extenditur ad alium casum sibi similem, ex dispositione alterius legis extendentis.

Et ex superioribus colligo, quod per transitum ad secunda vota non amittit uxor

in vita sua bona à marito relicta, licet teneatur ea reservare filiis primi matrimonii.

8 Sed pro perfecta expeditione hujus legis, & materiæ, aliqua videamus satis utilia, & necessaria. Et primò quæro; si maritus expressè aliqua bona reliquit uxori sub conditione: *Si secundo non nupserit*; an statim ea amittat per transitum ad secunda vota, & applicentur hæredibus mariti, tanquam defecta conditione? Et breviter dico; quod sic: quia licet conditio non nubendi tolleretur ipso jure de jure antiquo in qualibet persona, ut in *leg. Sed si hoc, §. final. cum legè sequent. ff. de Condition. & demonstr. & in leg. Cum tale, ff. Mævia, eodem titul. & in leg. Titia, eodem titul.* tamen secus est de jure novo Authentic. quia talis conditio rejicitur in virgine, vel homine, qui nunquam nupsit, quando est absoluta respectu omnis personæ, ut nunquam possit contrahere matrimonium: (a) secus vero si sit posita respectu certæ, vel certarum personarum, ut cum tali vel talibus non contrahat; quia bene valeret. Tamen secus in vidua, vel viduo; quia indistinctè bene valet conditio *Ne nubat*, etiam absolute respectu omnis personæ: textus est in *Authentic. Cui relictum, Codic. de Indicta Viduitate tollend. & ibi tenent Glossa ordinaria, Azo. in Summa illius titul. Odofred. Cyn. Jacob. Butr. Bartol. Alberic. Bald. Angel. Paulus, Salycet. & communiter Doctores, textus in Authentic. de Nuptiis, capit. Quæ verò nunc sequitur, collation. 4: & ibi Doctores: tenent etiam Bartol. & Doctores in dicta leg. Sed si hoc, §. final. ff. de Condition. & Demonstration. idem Bartol. in leg. Mulieri, & Titio, in fin. eodem titul.* Et in tantum est verum, quod in virgine, & non nupta rejicitur prædicta conditio: *Si non nupserit*; ut procedat etiam in sponsa de præsentî, non tamen cognita per copulam: quia etiam in ea tollitur prædicta conditio posita à sponso, vel ab altero, quia eadem est ratio: ita singulariter Bald. Angel. Paul. Jason. final. column. & Jacob. de Sancto Georg. in *Authentic. Cui relictum*, reputant esse utile, & quotidianum in practica. Item adde, quod idem etiam est in puella luxuriose vivente, quæ nunquam contraxit matri-

monium: quia si ei aliquid relinquatur sub conditione: *Si non nubat*, talis conditio rejicitur, & poterit liberè contrahere matrimonium, & consequi relictum: ita etiam tenent Angel. Salycet. Paul. Jacob. de Sancto Georg. & alii DD. in *dict. Authentic. Cui relictum*, quod est bene notandum in practica.

9 Secundò quæro: Si maritus vel alter reliquit uxori, vel mulieri viduæ aliquod legatum, vel fideicommissum sub conditione, vel donec castè, & honestè vixerit; & transeat ad secunda vota; an perdat relictum, & censeatur defecta conditio? Et videtur quod non perdat, quia in matrimonio est castitas, & maxima pudicitia: (b) textus in *leg. Mulier. ff. Cum proponeretur, ff. Ad Trebell. ibi: Quod & mulieris pudicitia, & patris voto congruebat, textus in leg. Castitati, Codic. Ad leg. Jul. de Adulter. textus in leg. Consensu, §. Si qua igitur, Codic. de Repudiis, ibi: Quod maximè etiam castas exasperat. text. in cap. Nicena, 31. distinction. ibi: Nuptias, & castitatem esse cum propria conjugè, text. in capit. Hæc autem, 30. distinction. text. in capit. Deus, causa 31. quest. 1. cujus verba sunt: *Deus masculinum & feminam prorogandi generis humani causa nuptiali castitate conjungit. text. in leg. Res uxoris, Codic. de Donationib. inter virum & uxorem, ibi: Quia pudicitia præmio, textus in leg. Attentari, ff. de Injuriis, textus in Authentic. de Non eligend. secund. nubent. cap. Cum igitur, ibi: Ut metu castarum nuptiarum (licet secunda sint) ab his quidem absterneant, & descendant ad quasdam interdicitas permissiones, textus in versicul. Sin autem, ejusdem §. ibi: Sed ad viri alterius veniat nuptias honestè, & omni luxuria absterneat.* Et in expresso, isto fundamento, & consideratione hanc sententiam, & conclusionem tenet Bartol. cum Oldrad. in *dict. leg. Mulier, §. Cum proponeretur, ff. Ad Trebellian. & ante eum tenent ibi Jacob. de Aretin. & Raynald. idem Bartol. in leg. final. Cod. de Indict. viduitat. tollend.**

Quod tamen intellige, quando talis conditio profertur à patre, vel conjuncto, vel penitus extraneo: quia tunc per transitum ad secunda vota non amittit relictum; quia matrimonium in se licitum, & honestum est; item quia

(a) Vide per textum & Doctores in *Authentic. Cui relictum, Cod. de Indicta viduitat. Covarrub. in quart. 2. part. cap. 3. §. final. num. 1. & 12. Jason. in leg. Si mater, distinction. 2. Codic. de Institution. & Substitution. Villalob. in dict. Herario communium opinionum, num. 14. Aceved. in dict. leg. 3. tit. 1. lib. 5. Recopil. num. 1.*

(b) Vide allegatos supra in num. 8. ibi: *Sub conditione, si secundo nubat, &c.* qui etiam hanc quæstionem resolvunt.